

ram responsurus, *vides*, Inquit, (10) *Decem esse, quæ Tu quatuor existimas*, (h. e. connumeratos quatuor hosce numeros decem, & ita cum articulô vestrô paria, facere) & (aptè dispositis unitatibus,) *Triangulum perfectum* (æquilaterum) *nostrumq; iusjurandum* constituere: tum ex eò, quòd Zamolxes Pythagoreus Thracibus conterraneis suis, ad quos secesserat, Pythagoræ dogmata, inter quæ procul dubio modus ille numerandi fuit, quò solos postea Thraces usos fuisse certò constat, communicasse legitur, apud Herodot. in Melpom. Quòd enim Thraces, cum ultra quaternarium non numerarent, illud ex instituto unici sui Præceptoris Zamolxis didicerint, maximè probabile redditur ex eo, quod, cum ipsi tale compendium, quo stupiditati suæ confulerent, excogitasse dici non possint, illud ab hoc ipso Pythagoreo, quem solum eos instruxisse legimus, hausisse relinquatur, cujus monitis, utpote saluberrimis, adeò pertinaciter in quòlibet vitæ genere eos adhæsisse probat Rob. Scheringhamus in de Anglorum orig. p. 224. & seqq. ex Jornande & Strabone lib. 16. aliisque, ut pro Deo illum habuerint.

Quapropter, uti Tetractys formalis absolutè propriè que loquendo nihil aliud esse videtur, quàm constitutio numerorum secundum Quaternarium: ita nonnisi metalepsi quâdam, quæ veteribus perquam frequens fuit, ipse Quaternarius voce Tetractyos interdum indigitabatur, tanquam radix numerorum tetractycè connumerandorum, cujus proprietatibus sanè speciosissimis ipsa Tetractys acceptam ferre debet illam compendii rationem, quâ tantoperè celebratur à Pythagoreis. Promiscuè igitur, quæ Tetracty propriè conveniunt, v. g. *inveniri, tradi posse*, nonnunquam ipsi Quaternario, tanquam radici, tribui legimus; sicuti vicissim, quæ radici

b )

dici